MASTER NEGATIVE NO. 92-80842-16

AUTHOR:

JANSEN, WILHELM A.

TITLE:

DE JULIO PFLUGIO EJUSQUE SOCIIIS REFORMATIONIS...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1858

Master Negative #

92-80842-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jansen, Wilhelm Albert
De Julio Pflugio ejusque sociis reformationis aetate et ecclesiae concordiae et Germaniae unitatis studiosis
Berlin 1858

No 1 of a vol of dissertations

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-21-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE IULIO PFLUGIO

EIUSQUE SOCIIS REFORMATIONIS AETATE
ET ECCLESIAE CONCORDIAE ET GERMANIAE UNITATIS
STUDIOSIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. IANUARII A. MDCCCLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS ALBERTUS IANSEN

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

ANTONIO SCHNEIDER, PHIL. DR.
OTTONE ROSE, AUDITORE HANOVERANO.
SCHMIDT, THEOL. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FERDINANDO STIEHL

PATRONO SUO UNICE COLENDO

D. D. D.

AUCTOR.

„Magnum est — credite mihi —
„robur et quasi numen consentientis
„alicuius populi . . .

Iulius Pflugius.

Saeculi decimi sexti initio quum Ecclesia Romana, quae medio aevo illum Europae et civitatum et cultus humani statum non minus admirabilem quam ab Antiquitate diversum maxima ex parte protulerat, vehementi ratione dilabi coepta esset novaeque fidelium societates ex ingenio quasi Christianae legis gignerentur, quas contra pugnans illa ipsa novas colligebat vires ac novam induebat speciem: nonnulli viri boni et sapientes exstiterunt, quos totos honestissimum venustissimumque ceperat prohibendi studium, ne totius Christiani orbis concentus una cum salutari patriae publicarum rerum unitate divelleretur. In Germania eorum facile princeps appellari posse mihi videtur Iulius Pflugius. Inde ab anno enim 1530, quo Protestantes confessione Augustae Vindelicorum Carolo V. Caesari tradita, tam explicatam ab omni parte quam Catholicae fidei adversariam religionis doctrinam constituerunt, usque ad spiritum extremum a. 1564 effusum ille quem modo nominavimus vir excellentissimus in partium reconciliatione versatus est. Atque certe habuit in rebus gerendis eam auctoritatem quam vera in virtute et doctrina posita humanitas semper

habere solet, quamvis ea in re praesenti non ita saepe a quovis homine cognoscatur.

Quodsi factionum historiam consideramus nos non effugit, eos viros moribus optimis minime carere, qui neque commodi sui caussa vel fortunae vel potestati inserviant neque animis ignavis aut lentis huc illuc trahantur sed prudentes et fortes medium inter maxime contrarias partes locum occupent. Sedtamen in acerbissimis studiis istorum, qui aut saeva audacia duces novas res ingeniose molientes sequuntur aut tenaci et fanatico furore statum, qualiscunque est rerum, conservant: nunquam fere felices fuerunt intercessores. Namque subita rerum publicarum conversione exoriente unitis viribus maxima peraguntur. Nec quidquam eodem astricto praesens quidem in tempus vinculo homines coniungit, ac cupidissimum partium studium, quod una cum ista rerum mutatione in lucem prodit, quod aut in una aut in altera caussa extrema est totum. Illi autem inter utramque factionem intercedentes eam iudicandi et agendi rationem, quae ab omni cupiditate perturbationeque animi abhorreat, firmissimum vitae beatae fundamentum esse censent. Aequa vereque libera mente, si quid utraque pars veri et iusti habet id agnoscunt. Cuius modi nimirum iudicium non eorum, qui rebus agendis intersunt, sed potius philosophorum eventum successumque rerum tempore posteriore edoctorum proprium videtur esse. Quoniam autem inter nimium et parum plurimae lateque digredientes sententiae poni possunt, quoniam deinde plerique reconciliatores ex philosophica sua iudicandi ratione alii alias formulas rerum ordinandarum proponere amant: raro factum est, ut mediae partes in talem unitatem coalescerent, qualis sola in magnis rebus vim haberet. Etiam rarius ex

iis processit, qui fortuna adiutus et ingeniosus certum evidensque consilium excogitaret, quo omnia omnium aetatis suae inter se opposita studia in unum quasi vivum corpus concluderet aut si quando talis surrexit, quam saepe sero surrexit infaustis iam exortis temporibus!

Atque Iulii Pflugii luctuosus casus fuit, quod totam vitam paci concordiaeque cum universae Ecclesiae tum patriae efficiendae sacrabat, quod vero vel tempora vel hominum nimis excitatae cupiditates consiliis bonis obstabant ita ut omnes quin etiam maximas eius spes ad irritum redigerent. Quamquam multi et boni viri fuerunt, qui idem expeterent, quanquam iterum iterumque status publicus ipse eiusmodi studia stublevare visus est.

Aggredior primum quaestionem, qui quales Pflugianarum ut ita dicam partium socii fuerint; tum eas occasiones attingam, quas sibi opportunas esse duxerunt; postremo verba faciam de Pflugii illa oratione, qnam gravis iam annis scripsit et Germanis suis illius Iohannei instar »amate vos filioli« optimam suam haereditatem tradidit.

CAPUT PRIMUM.

Sub medii aevi finem postquam bene eruditi Graeci novam docendi viam rationemque ac simul perfectissima antiquae Helladis ingenii opera in Italiam, sedem et domicilium ut ingentis opulentiae ita Europae plerarumque rerum publicarum gerendarum, transtulerunt et praecipue Constantinopoli a Turcis expugnata in Occidentem diffugientes studia sua propagarunt: tunc illae litterae artesque instauratae et renovatae sunt, quae post antiquarum civitatum interitum

fundamenta quaedam novi rerum status manebant. Eo igitur tempore ad primas humani ac civilis cultus origines maiores nostri descendere coeperunt atque ut celeberrima Apollinis statua, ut Laocoonis filiorumque symplegma illa aetate effodiuntur, sic scripta ab antiquis Graecis et Romanis singulari artificio perfecta quasi ruderibus diiectis, quibus per Muhamedanismum vel scholasticum studium obruta fuerunt, e tenebris vocant in novam lucem. Cuius facti gloria Germanis non minime debetur. Quum Langenius, Dalbergus, Rittbergus, Caesar Pflugius Iulii pater aliique cum illis Italiae nobilibus comparari possint, qui in litterarum studiis iuvandis optimam laudem positam esse habebant: Erasmus, Capnio, Ulricus de Hutten, Petrus Mosellanus, Eobanus, Hessus, Conradus Mucianus, Iohannes Langius, Ioh. Crotus, Camerarius, Melanchthon similitudinem speciemque eorum Italiae virorum doctorum gerunt, qui in principum aulis propter amoena sua atque elegantia ingenia eximia admiratione afficiebantur, dum populis magis ingenuae doctrinae auctores erant. Iam Humanistae, qui Scholasticorum adversarii nominati sunt[1]), omnibus rebus posthabitis totos se in antiquis litteris tractandis collocarunt. Ne unus quidem ex multis, qui urbes Italiae florentissimas frequentabant, in scriptis suis Rafaeli picturarum, vel Michaelis Angeli statuarum mentionem fecit. Neque ullo verbo in Humanistarum, quas legimus epistolis itinera miranda propter novas investigandas terras suscepta attinguntur, quae brevi in rebus gerendis non minus certe valuerunt, quam Reformatio

---

[1]) Cf. J. Pfl. oratio in ob. Petri Mol. ». . . ad eas liberas, quae *cum omnem humanitatis rationem contineant* ab ea nomen rectissime acceperunt.

ipsa vel litterarum instauratio[1]). Illa ratione factum est, ut non solum externae antiquarum litterarum artiumque formae et species elegantiorem pulchri sensum formarent, sed etiam ingenium Ovidiorum eandem vim ac Platonum in moribus mutandis haberet.

Politiore enim et luxuriosiore Italia duce, propriae peculiarisque Christianae religionis multi iique docti et nobiles viri negligentes facti sunt. Ut theologia eorum, qui centum ante hanc aetatem nostram annis philosophi sese praedicabant, nihil nisi incertam extenuationem notionum Dei, mundi gubernationis, virtutis, immortalitatis continebat: sic illo quoque tempore, quo Erasmus princeps omnium contra barbariae tenebras pugnantium laudabatur. Ut exempla aliqua afferam, Eobanus Hessus nescio cuius poetae ad vituperationem, quod Christum non Phoebum in carmine quodam regi Poloniae inscripto invocasset, haec respondit:

»Est Deus in nobis non qualem Naso canebat,
Christo non Phoebo pectora nostra calent.
Est Pluto in vobis, agitante calescitis illo,
Sedibus infernis spiritus ipse venit[2]).«

Nihilo minus nimis ingenii Ovidiani Christianae heroides et sanctae feminae, quas »Silvis« iisdem (ubi ea defensio legatur) cecinit, videntur esse. Atque Hessus ipse alteram horum carminum editionem a prima diversam esse indicat hisce:

---

[1]) Pflugius primo 1559 idque in Caroli V. laudatione (Dilingae apud Sebaldum Mayer 1559) »novam Hispaniam,« »novum mundum« commemorat. Ea ipsa re Caesarem orbi Christiano multo magis profuisse, quam omnes Turcarum expugnationes nocuisse.

[2]) E. Hessi Silv. I.

»Quaeque nimis laxae velabant corpora pallae
Dempsimus et longae pendula texta stolae.«

Nec non Conradus Mucianus, Romani iuris peritissimus et in humanitatis studiis non mediocriter versatus, uno spiritu Eobani levitatem castigat et antiqua quadam obscoenitate nuptias eius irridet. Erasmi denique vitae rationem eiusmodi esse, ut quivis paganus vel Iudaeus novi testamenti doctrinae expers praecipere possit, Lutherus acerbe quidem sed recte dicit [1]). Idem vero Erasmus mores amicorum, quos modo appellavimus, ita probavit, ut istos vel theologis esse optaret [2]).

Ciceronis igitur linguae et arti, solis omnino exemplis quae olim Italia, quae olim Graecia genuerat, dediti, Humanistae quod amplius desiderarent non habebant atque inprimis a temporis sui Ecclesiae et theologiae rationibus sese abalienaverant. Praeceptores magistrique qui illi erant populi, nobilium praecipue ac principum, eosdem mores in eorum animis plantarunt, quos solis Italiae recentis scriptoribus et viris in rebus publicis versantibus, qui tum et in litterarum scientia cognitioneque et in universae Europae civitatibus constituendis plurimum valebant, iisdico-solis istos mores tribuendos fuisse non ita recte iudicant. Cum Cardinali Alberto, Moguntiae archiepiscopo, cum Saxoniae duce Mauritio et prudentissimo eius consiliorum adiutore Christoforo de Carlowitz non pauci illustri loco natorum Germanorum viri traduntur consensisse. Etiamsi maiorem in partem mores patriae nostrae imprimis illo tempore Germanarum urbium meliores quam Italiae ha-

1) Lutherus »de servo arbitrio« 1525.
2) Erasmi epp. (ad Conr. Muc. 1518).

beri licet [1]), primus tamen Lutherus non solum religionis obscuratae renovationem inchoavit, verum etiam antiquitatis studiosos, qui modo lenti vel negligentes de religione erant, emendatae Christianae legis amore atque integriorum morum studio implevit [2]). Quin etiam continuo et alacri studio Humanistae iique principes cuncti a partibus Lutheri caussam tanquam propriam suam defendebant: quam diu scilicet Vitibergicorum incepta sive nova Dei cognoscendi doctrina sive purioris pietatis magisque ingenuorum morum quam Scholastica praecepta habebantur, et in finibus ut ita dicam doctrinae manebant vel potius manere videbantur, quamdiu Reformatio naturam quandam nobilis gentis mentisve propriam habens neque cum omnibus communis vitae civilis rationibus neque cum communi omnium cuiusvis ordinis hominum commercio miscebatur, quamdiu denique ruinas rerum, quae erant, publicarum civiliumque non minabatur. Verum enim vero tempora mutabantur. Reformatio, tantum abfuit, ut elegantius eruditorum virorum

1) »At nos multo magis constantiam et semel promissum pactum in hoc homine (i. e. Romolo Amaseo praeceptore doctissimo Bononiensi) requireremus et tam divino ingenio, mirum ut hoc commune Italiae malum tam late serpuit et sic radicem funditus insevit, ut nec ex cultissimo agro possit aliquantisper exstirpari.« Haec verba sunt Eberhardi de Than iuvenis admodum ad aequalem Pflugium scripta Bononiae litteris navantem. (cf. G. Muelleri »epp. P. Mosellani etc. etc. ipsiusque Pflugii ex man. scr. Bibl. Ciz.« ed. p. 14.)

2) Melanchthon Camerario scripsit 1529: »Et scis — inquit — me antea non magnopere ambivisse Erasmi amicitiam. Vide quantum iudicii sit nostris inimicis! Illum amant, qui multorum dogmatum semina in suis libris sparsit, quae fortasse longe graviores tumultus aliquando excitatura fuerant, nisi Lutherus exortus esset ac studia hominum alio traxisset.« (cf. Melanchthonis epp.)

proprium esset, ut studio longe vehementissimo a populo universo susciperetur, suscepta admirabili cum successu propagaretur. Rebus autem perturbatis mox clerici et laici potentes hic illic commodis suis privatis inserviebant[1]). In solum, puod modo sacrum erat, homines cupidissimi animi et mentis ineptae inruebant repagula iuris divini humanique officii, quibus nostri generis societates neque ecclesia neque civitas carere possunt, perfracturi. Tunc isti nefarii tumultus rusticorum, tunc isti fanaticorum, qui se impletos esse clamabant spiritu sancto, furores Germaniam in summum discrimen deduxerunt[2]). Quae quidem pericula propulsantur, sed iam Catholicorum Ratisbonae facta coniunctiio et Lutheranorum Torgavia posteaque Smalcaldica confoederatio inter se oppositae sunt, iam ubique Europae Septentrionalis commutari coeptus est totus et civitatum et ecclesiarum status in hanc trecentis annis post adhuc conservatam confirmatamque formam.

Quid quod tum Humanistae eorumque fautores egerunt, propterea quod Germaniae civitates post imperii ordinum conventum Spirae 1526 habitum singulae suo arbitrio iure optimo[3]) aut Luthero aut pontifici Romano favebant? An una cum patria ipsi in diversas partes distracti sunt?

Paullo ante hi viri litterarum eximio amore studioque omnes ubique sese conjunxerant et »tanquam eruditorum colloquio«[4]) epistolis utebantur, quae eloquentiae Latinae,

[1]) Cf. I. Marx »Ursachen der schnellen Verbreitung der Reformation.« Mogunt. 1834.

[2]) Lutheri opp. ed. Walch. XVI. p. 91 etc.

[3]) Leop. Ranke »Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation.« lib. IV. cap. 2 et cap. 4.

[4]) Ep. Pflugii ad Menzerum Cal. Dec. 1228, impressa in Ackeri »narratione brevi de Iulio Pflugio« etc. cum nonnullis aliis documentis.

artis tum celebratissimae, campum aperiebant, quae vices commentariorum nostrae aetatis cum politicorum tum litteratorum sustinebant. Hic non aliter atque iuvenes venusti et moribus amabilibus ornati qui saeculo XVIII in Germania liberales litteras artesque excolebant[1]), laudibus splendidissimis se ipsi extollebant et reipublicae suae litterariae societate coniuncti totius mundi se incolas et cives arbitrabantur esse. Sufficiant haec exempla: Lipsiae Sicilianus nomine Priamus Capotius elegantius Latine loquendi artem primus docuit; primus qui ibidem Graecas litteras plantavit, Ricardus Crocus, fuit Britannus[2]). Ut primum autem Humanistarum contra scholasticos viros istos obscuros certamen exarsit, non solum apparuit, qua autoritate apud principes populosque abundarent, sed etiam quam arto vinculo omnes illi inter se cohaererent. Faber enim, Budaeus aliique, qui Lutetiae Parisiorum habitabant, Ulrico de Hutten nuntiarunt, Lutetiae nullum aliud nomen eadem qua Capnionis laude celebrari. Atque Ulricus de hoc nuntio iucundissimo brevi post Iulium Pflugium certiorem fecit, qui Bononiae eloquentiae Latinae studebat[3]).

Ea igitur societate singulari praevalidos primum se ad Lutheri caussam, quae iis eadem ac sua videretur, applicavisse, deinde vero tempora incidisse, quibus non pauci illam relinquerent: supra dictum est. Iam Erasmus tam a Melanchthone quam a Luthero disiungitur. Ioh. Crotus, ingenio acri et doctrina politissima excellens, quo animo

[1]) A. Koberstein »Grundrifs der Geschichte der deutschen Nationalliteratur.« II.

[2]) Cf. Ioh. Gottl. Boehmius »de litteratura Lipsiensi.«

[3]) Ep. Ulrici de H. ad Iulium 1518 legas in v. d. Hardt »historia lit. Ref.« I. ab initio.

cupido paullo ante Vitebergico reformatori applaudebat, eodem Cardinalis Alberti contra Protestantes inimicitias defendit [1]). Nonnullis tamen vehementioris indolis exceptis Humanistae partium reconciliationi et paci revocandae prae ceteris navabant operam. Ex iis ipsis prodierunt, qui Pflugio autore formula quadam concordiae invenienda sperarent, fore ut non solum »Catholicis satisfacerent sed etiam eorum adversos placarent.« Eorum nomina progrediente hac disputatione cognoscemus.

Etenim qui literarum studiis incumbunt, tumultus odisse solent. Assiduitas doctorum desiderat pacem, quae pax saepe ingeniosos homines non ita adiuvisse perhibetur. Assidui homines amant res, quibus assueti sunt, amant vitam placidam et securam. Litterarum studium allectat animos quietos et reddit quietiores. Humanitatis vero qui erant saeculo XVI praecones Erasmus, Capnio, Mosellanus, Melanchthon, Camerarius timidis pavidisque animis agebant; id quod nemo nescit. — Atque praeter cetera opportebat qua aetate illae absolutae disciplinae et Platonis et Aristotelis una restituebantur, qua ingenii cursus multo magis ad philosophiae veteres formas denuo proferendas quam ad novas excogitandas erat: philosophandi ratio Ciceronis eximia autoritate floreret, »quae libabat ex omnibus disciplinis quodcunque iudicium maxime specie veritatis movebat« [2]). Nimirum Ciceronis scripta diligentissime legebant et admirabantur, qui ut summam eruditionem ita optimam

[1]) Cf. »Apologia qua respondetur temeritati calumniatorum non verentium confictis criminibus in populare odium protrahere Ristinum in Christo patrem et dominum Albertum etc. a Joh. Croto Rubeano privatim ad quendam amicum conscripta etc. mense Sptbri. 1531. Lipsiae.

[2]) Cf. Cic. Tusc. disp. lib. V. 29.

artem in Latine scribendi facultate positam esse habebant [1]). Praecipit autem illa philosophia, quae nunc »eclectica« praedicatur, ne unius disciplinae principio servias, sed quodcunque examinans optimum quidque in usum vitae retineas. Quod in agendi ratione nihil aliud est atque et ipsum Ciceronianum, animus ab omni perturbatione et cupiditate abhorreat; qua in sententia explicanda disputationes Tusculanas versari cognitum est. — Scriptores denique Augusteae aetatis, quibus in exprimendis Humanistae toti erant, contentiones civiles exsecrantur (fiat inprimis mentio Horatii carminis »quo quo scelesti ruitis« etc.), dum pacem pacisque autorem Augustum, cui dulcissimum suum otium litteratum debeant, immortalibus laudibus exornant. Quaecunque Maximiliano et Carolo V imperatore doctissimi antiquorum imitatores scripserunt, easdem spirant sententias. Et eodem pacis studio rebus gerendis ipsi interfuerunt [2]). Erasmus ad criminationes sibi ab Ulrico de Hutten factas respondit, quid eveniret se nescire, si hac parte soli tumultus, rixae et iurgia sin illa solae bullae censurae rogi imminerent. Cardinalis Sadoletus, singularis prudentiae vir, quem praeter Erasmum Georgius dux Saxoniae maxime admirabatur, sese gerere studebat ita, ut neque Lutheranorum odium et Catholicorum aequitatem excitaret [3]).

[1]) Iulii Pfl. »oratio funebris in obitum Petri Mosellani.«

[2]) Iulii Pflugii oratio in obitum Petri Mosellani depingit Petrum M. exemplum ab omni parte absolutum eius philosophiae morumque, eius sapientiae virtutumque, quas Tullius Tusc. disput. suis summas statuit et poposcit. Hoc vero et ipsum notandum est, id quod illa oratione (1524 habita) apparet, qua ratione quam vim iam tum novae Lutheri doctrinae habuerint in eruditis, qua ratione eae cum antiqua sapientia ab Humanistis coniungi coeptae sunt. Quod explicare hoc loco longum est.

[3]) Sadoleti epp. p. 448 (cp. ad Iulium Pfl. 1538).

»Tranquillitatis igitur observatores«, litterarum studiosi et in eruditione veram humani generis salutem ponentes, vel alienati a quadam generosa religionis studii vehementia: plerique Humanistarum in eo loco et statu, qui fortuna iis assignatus erat, bonam caussam adiuvare conabantur. In Saxonia quam Fridericus cognomine Sapiens guvernabat, aequi moderatique autores vel socii novae condendae ecclesiae facti sunt. In archiepiscopatu Moguntino multi Iulii Pflugii consiliis addicti erant[1]). In Saxonia, cui Georgius dux praeerat, Caesar aliique Pflugii; Georgius, Christoforus, Nicolaus: Carlovicii; Simon Pistoris, Michael Osse, Petrus Mosellanus, Stramburger, Benno de Heynitz, Catholicam fidem aut nunquam aut multo post deseruerunt[2]).

Hoc loco disputatio nostra facillime transit ad Iulium Pflugium, Caesaris filium, cuius gentem et vetustate et opulentia nobilitatis Misnicae primariam Camerarius appellat[3]). Fortasse si civis Saxoniae Ernestinae, si Vitebergae vixisset, alter factus esset Melanchthon. Sub Georgii vero auspiciis rempublicam capescens »alter Irenaeus pacisque autor«

---

1) Epp. man. scr. Bibl. Cic. imprimis Alberti archiepiscopi. — cf. praeterea Muelleri »epp. Moseliani etc. etc.« p. 93 »ep. Neideckeri.«

2) Cf. Albert v. Langenn »Moritz v. Sachsen« atque eiusdem autoris »Christof von Carlowitz.« — Fabricii epp. ed. Baumgarten »Crusius p. 130 ubi Fabricius de Nicolao Carlow. haec habet: »qui vere *ἀμφίβιος* est nec suam religionem observans nec nostram hoc est veram alens.« Quam melius iudicat de eodem viro postea episcopo Misnensi electo Julius! »Vir est — ut dicit — *doctrina* tali, *prudentia, morumque integritate* et *constantia* tanta praeditus est, ut omnes qui eum norunt, ad ecclesiam Misnensem regendam aptissimum esse iudicent.« *Eae nimirum virtutis erant, quas Pflugianarum partium proprias intelligas esse.*

3) Cam. mel. vit. LVIII.

ad partes inter se certantes descendit[1]). Clementi indole, singulari memoria atque intelligentia praeditus iam prima iuventute, cuius inquietudo et alacritas, mobilitas vel etiam temeritas propriae esse alias videntur, unicam animi tranquillitatem aequitatemque praestitit. Praeceptore inprimis Ricardo Croco et Petro Mosellano Lipsiae, Romulo Amaseo Bononiae et Lazaro Bonamico Patavii usus brevi venustissimum ingenii florem evolvit ita ut »iuvenis in Italia in admiratione esset«, ut ipsi Erasmi, Sadoleti, Melanchthones illius amore et laudibus inter se certarent, ut Ioh. Fridericus elector et Lutherus, iam Pflugii adversarii facti, summam quidem doctrinam Iulii non comprobare non possent. Lutherus non minus quam Melanchthon, si quae de ecclesia reformanda, de libris sacris intelligendis scripserant, ea longum tempus familiariter cum Iulio communicaverunt[2]). »Quo cum intercedebat Philippo singularis usus et litterae utriusque scriptaque edita Philippi, quanti uterque alterum faceret testabantur; et constabat summa benignitate a Iulio Philippum comprehendi neque contra dignitatem et amplitudinem Iulii quicquam a Philippo factum[3]). Nihilo minus Pflugius Vitebergicorum partes non secutus est[4]), quoniam ab omni partium nimio studio alie-

---

1) Wicelii epp. ab ipso editae Lipsiae 1537. IV.

2) G. Müller »Geschichte und Merkwürdigkeiten der Stiftsbibliothek in Zeitz« p. 8.

3) Camerarius vita Mel. l. l.

4) Cf. »Hoc loco quod res est iterum dicimus et fatemur, versari iam dudum in ecclesia corruptelas graves, *atque utinam ii qui cum potestate sunt ecclesiastica has labes sustulissent in tempore, aut qui easdem evellere voluerunt homines ardore contentionis non longius quam oporteret provecti fuissent.*« (Julius in oratione man. scr. Bibl. Cic.).

nus ecclesiae *pacem,* unitatem Germaniae fines bonorum esse sibi persuasum erat. »Ecclesiae opus esse dictitabat reformatione non exstirpatione [1]). Quae sententia docet, quid Pflugius appeteret, quam similis Erasmi, Sadoleti aliorumque quos commemoravimus virorum esset. Proxime ad id cui Iulius studebat, Vicelius accedit, iste infaustus homo ex Lutheranorum societate eiectus [2]). »Nolim — inquit aliquando — destructum aedificium, sed ruinas sarctas opto« [3]).

Liceat mihi comparare consilia et ecclesiae et vitae reformationis, quae Iulius dum vixit colebat, cum illis, quae ante eum Gerson et Gregorius de Heimburg quae post eum patrum Loiolitarum adversarii Iansenistae, viri et morum integritate et magna studiorum varietate copiaque instructi, libertate cum ingenua profitebantur. Ut illi enim, Iulius in morum animi et mentis eruditionis perfectione perfectam humanitatem esse positam habuit atque civium moribus excolendis eorumque scholis emendandis et augendis summam operam dedit [4]). Ut illi, pro occidentis Europae Christianis maluit conciliorum autoritatem quam Romani pontificis dominationem. Ut illi, Augustini de iustificatione doctrinam toto animo complexus est. Ut in illis denique sic in Iulio ecclesiae vel potius religionis Christianae amor

[1]) Spangenberg »Adelsspiegel« 1594. II, XI, 15. Cf. manuscr. Bibl. Cic. quo Iulius admonet: »Was die protestirenden stennde in diefsen geschwinnden zeytleufften zu irer notturft billig bedenkhen sollten.«

[2]) Multas Wicelii ad Iulium scriptas epp. conservat Bibl. Cic., e quibus nonnullas in publicum edidit G. Muellerus l. l.— cf. A. Neandri »de G. Vicelio.« Berol. 1839. 4to.

[3]) Wic. epp. libr. IV., ubi aliquo loco haec ad Iulium scribit. — cf. eiusdem autoris »via regia.«

[4]) G. Muelleri »de Iulii Pfl. meritis — in scholam Cizensem.« 8vo.

studiumque artissimo vinculo cum amore studioque patriae coniuncta sunt. Neque alia res quam diversitas aetatum quibus quos nominavimus viri florebant studia eorum reddidit diversa. Pro eadem vero diversitate saeculo XVI indoles ac virtutes summa cum gloria et rerum publicarum salute evolvi potuerunt, quarum praestandarum saeculo XV vel XVII vix occasio data erat.

Quum acerbissimum partium studium amori mutuo caritatique generis humani et verae prudentiae periculum moliretur: tum Iulius Pflugius totam religionem rectamque pietatem *in dogmatum qualiscunque erat confessione minime ponere* grandi atque vere excelso animo ausus est. Pflugius enim quamvis Catholicae fidei addictus Lutherano Ioh. Rivio, Iohannis celebratissimi filio, scholam Cizensem et instruendam et regendam tradidit [1]). Nec non idem Pflugius quamvis in propriis Protestantismi regionibus sedem suam habens Georgium Agricolam, Chemnizae 1555 mortuum, cui Lutherani cives quod sacra Romana defendisset honestam sepulturam abnuissent, maximo cum suo periculo et sumptu Cizam deportandum ibique in aede cathedrali condendum curavit [2]).

Quid ipse vero de fide et institutis Christianis senserit paucis colligamus. Prae ceteris docebat, sola gratia et misericordia Dei homines iustificari, facienda autem esse bona opera non quod iustitia non gratis propter Christum impetretur, sed propterea quod Deus bona opera praeceperit et quod iustitia et fides esse non possit absque

[1]) Cf. »tabulae trium M. T. Ciceronis librorum de officiis etc. autore Ioanne Rivio, Atthendoriensis filio. Hic liber reverendissimo — Iulio Pflugio dedicatus est. Praefatio ad Iulium inprimis legenda.

[2]) Albini »Landeschronik« 355.

bonis operibus. Necesse etiam esse ut pravas concupiscentias carnis nostrae per bona opera mortificemus, ut renovatio spiritus crescat[1]). Protestantibus communionem quidem sub utraque specie nolebat non concedere, sed totum domini nostri corpus iam in pane ipso contineri censebat. Connubium sacerdotale negabat peccatum et invisum Deo esse. Multo antequam patres Loiolitae scholis celebratissimis apertis ecclesiae vel societati suae autoritatem laudemque singularem comparabant iterum iterumque poscebat Iulius, ut quam plurimi et optimi ludi theologis praecipue instituerentur quin etiam claustrorum divitiis adhibitis. Vetabat tamen, ne si qui docti sententias qualescunque de Dei cognoscendi ratione excogitassent, eas extemplo cupidissimis plebis animis committerent[2]). Denique opportere clerici inprimis tam summae quam infimae dignitatis moribus cum populi tum suis ipsorum emendandis vitam et vires suas obferrent. Conciliis tradi posse vel pontificis Romani vitae morumque censuram. Sed caerimonias veteris ecclesiae Pflugius eo magis retinebat, quo magis adversarios ipsos de hac re inter se dissentire cognoverat[3]).

Nunc huius narrationis primam partem optime me finire existimo Pflugio mediarum ut ita dicam partium principe de se suaque aetate ipso dicente facto[4]).

[1]) Seckendorfii hist. Luth. III, 90. — »Bedenkhen der herzoglich Georgschen rethe über die communio sub una« — »de communione sub utraque« — »qua ecclesia sit reformanda« et multa alia manuscr. Iulii Bibl. Cic. sunt conferenda.

[2]) Epp. Pflugii et oratt. (mss. Bibl. Ciz.)

[3]) Cf. not. 1. — Sal. Cypriani tabellarium eccl. Rom. etc., ubi insunt non paucae ad Iulium et a Iulio epp. scriptae.

[4]) Oratio Iulii electi episcopi Numburgensis ad subiectos suos 1547 habita, quam man. scr. in Bibl. Cic. invenias.

»Eo loco« — inquit — »natus sum et ita ab ineunte aetate institutus, ut vitam amittere malim, quam meam perpetuam de patria bene merendi voluntatem abiicere. Agnosco et profiteor me Germanum esse, quod ipsum nomen me officii mei ita admonet, ut cum coniunctissimus esse vobiscum (scil. cum episcopatus sui subiectis) debeam tum nihil habeam antiquius quam ut colam societatem, quae inter nos est et studium meum erga vos ac patriam nostram declarem. Et fuit antehac tempus illud cum vel in ecclesia vel in republica me ita versari posse confiderem, ut tamen a quieta vitae ratione — non omnino dimoverer ad eas igitur artes, quae pacis sunt, me dabam et nihil optabam magis quam ut in tranquillo ecclesiae meae atque adeo Germaniae statu conquiescere iisque operam meam non omnino inutilem navare aliquando possem. Verum tempora quae inciderunt post ea fuerunt tam inimica etc. etc. — In republica nimirum nostra factiones in ecclesia autem dissensiones de religione Dei immortalis et schismata, quae tantum malorum in Germania nostra invehunt, ut invenias in hac non parum multos eosque potentes qui malint popularibus suis quos oderunt atque adeo patriae inferre bellum, quam necessariam huius (scil. contra Turcas inprimis) defensionem suscipere, ac si perniciosissima mala illa non primo quoque tempore e natione nostra sublata fuerint non modo non florere hanc diutius sed ne stare quidem poterit. — Nam quod Christus praedixit, omne regnum in se divisum ruiturum esse, id nec fallet nos unquam neque fallere poterit.« —

CAPUT SECUNDUM.

Carolus hoc nomine quintus Germaniae imperator nonnullis imperii principibus, a lege autoritateque pontificis Romani alienis, suae religionis doctrinas praeceptaque, quae quidem papa iam aliquot annis ante haeretica condemnaverat, quae illi ipsi et ad antiquissimam eamque vere Christianam legem congruere neque ulla parte contra imperii instituta vel iura pugnare affirmabant, eas igitur doctrinas in commitiis Augustae Vindelicorum a 1530 celebrandis confitendi dedit facultatem. Quod quum fieret nemo praesagivit animo, confessiana Augustana tanquam fidei et studii firmo fundamento constituta per decennium inprimis insequens Protestantismum, qui saeculorum superstes futurus esset, et creatum et auctum iri in Germaniae quidem finibus. Atque si unquam tum effici posse visum est, ut Protestantes et Catholici reconciliarentur, ut patria nostra pace concordiaque frueretur. Iam convenit inter eos summa doctrinae, intercessione inter utramque partem suscepta. Quid divina gratia, quid humana opera valeant cum utriusque partis consensu satis disputatum est. Iam communionem sub utraque specie, connubium quoque sacerdotale Catholici concesserunt, quum Protestantes se sua pro parte dignitatem episcopalem restituros et claustra denuo sequestro posituros esse promitterent. Et fortasse si revera Germani soli res suas egissent, optime puodcunque evenisset. Verum enim vero id quod nobis quidem dolendum videtur apud Carolum imperatorem cum multis et aliis rationibus tum maxime per confessionarium nimis valebant pontifex Romanus »Romanenses« que eius

ministri; nec non Catholicismo inveterato Eckii, Fabri, Cochlaei, Wimpinae acerbissimo ardore ac praeter modium serviebant [1]).

Quid vero si Erasmus Romanensium et Eckiorum vice quum apud omnes alios Germaniae proceres Catholicos tum apud Caesarem autoritatem suam toto fere orbe terrarum praevalentem [2]) interpositurus est? Erasmum dico illum qui quidem contra Ulricum de Hutten, contra Lutherum ipsum idque minime sine ullo iure scripserat, multa autem Protestantum consilia et ipse adiuverat, qui omnibus partibus acceptus fieri posse videbatur. Cum tali viro consentietne, qui a partibus novae exstruendae ecclesiae non minorem quam Lutherus autoritatem habet Melanchthon? An uterque efficere possunt, ut tam Catholici quam Protestantes »statuent vel etiam multa quae per se (i. e. ut nos dicimus e principio) ferenda non sint temporum caussa esse ferenda?« [3])

Quod consilium solum ecclesiae Germaniaeque saluti esse, censuit Iulius Pflugius, qui tum a conciliis Saxonum ducis Georgii hunc dominum suum Augustam comitatus erat, ubi occasione quadam non ita levis forte momenti data mutuum cum Erasmo epistolarum usum familiarissimum habere coeperat. Atque paullo post reditum cum Humanistarum principe illo tempore Friburgi Brisgoiae in litteris senescente consilium illud suum communicavit. »In

---

[1]) Leop. Ranke l. l. libr. V. cap. 8. — cf. infra not. 3.

[2]) Camerarii, Eobani Hessi vita XV optime et unica perspicuitate hanc rem, autoritatem scil. Erasmi illustrat. — cf. Iulii Pfl. oratio fun. in obit. Petri Mos.

[3]) Iulius Pfl. ad Erasmum. — cf. Erasmi epp., quibus inest illa Iuliana Lipsiae IV. Id. Mai. 1531 scripta et ipsa Erasmi responsio.

te« — inquit — »in te Erasme unum omnium corum, qui pacem expetunt, oculi sunt coniecti. Eam namque cum autoritatem tum vero etiam facultatem Deus tibi adiunxit, ut possis unus ex omnibus maxime malis istis mederi idque consequi ut persuadeant sibi principes nostri controversiam de religione tolli posse, vel Deo ipso applaudente si quae ex sanctionibus ecclesiae mutari possunt ea relaxentur atque ita existiment leges institutaque hominum ex tempestate ecclesiae moderari oportere.«[1]) Quanticunque tamen eiusmodi sententias aestimabat Erasmus, minime ipse tales res suscipere volebat. »Quid — hisce verbis responsi sui ad Iulium finem facit — quid si nobis eveniat, quod evenit monacho cuidam Ioanni — ? Is ut erat civilium rerum rudis et ruri aeducatus cum forte fortuna pertractus in theatrum videret duos gladiatores inter se congredi, vir pius insiliit in medium clamans: quid agitis fratres, cur in mutuam caedem sine caussa ruitis? Quid multa? *Dum dirimit gladiatores, ipse gladiis interemptus est.* Nec ea res illi soli accidit, compluribus aliis *usu venit, qui capitales* hostes dirimere conantur. Eiusmodi certamen erat inter Hectorem et Achillem quos sola mors dirimere potuit. Nam quidam sic pugnant, ut optent diremtorem[2]).«

Certum est, Erasmum celebratissimorum celebratissimum eruditum in instaurandis optimarum litterarum studiis atque in moribus, secundum medii aevi doctrinas cultis, mutandis facile summam vim habuisse. Non minus autem mihi certum esse videtur, eundem Erasmum in rebus publicis

---

1) Cf. p. 23. not. 3.

2) Erasm. Epp. lib. XVII. Erasm. Iulio.

agendis qualiumcunque partium vel principem vel autorem nunquam fuisse. Prae ceteris enim Erasmus non eodem patriae amore quo Iulius ardebat, quem vitam suam amittere maluisse quam de patria bene merendi voluntatem abiicere cognovimus.

Quod quum ita sese haberet, quas Erasmus partes tribuendas esse ducebat, eas Iulius ipse pro virili sustinere conatus est. Primo eas a. 1534 egit, postquam Georgii ducis animum in eos, qui ab ipsius dogmatibus dissentiebant, aequiorem reddidit, postquam Cardinalem Albertum, splendidissimum illum eruditorum et amoenioris ingenii hominum Maecenatem, sibi suisque studiis conciliavit, postquam vel elector Saxoniae dubitare paullisper abstitit, quin intercessione quidquam boni consequi possent, et cancellarium Pontanum ac Melanchthonem ad Colloquium Lipsiense misit. Iulius Pflugius quamquam eo colloquio id quod valde cupiebat minime perfecit[1]), inde tamen ab illo habito caput et dux omnium eorum appellari coeptus est, quicunque alioquin una cum spectato duce societate certa carentes de concordia desperabant. Iam praeconem autoremque melioris aetatis Pflugium Wicelius salutat; iam multitudinem principum, praelatorum, bonorum cuiusvis ordinis civium enumerat, qui Pflugio applaudent vel certe non obficiunt; atque res publicas ipsas gerendas Pflugianae caussae favere eamque adiuvare sibi persuasum est[2]). In principum vero potentissimorum numero, qui Iulii stu-

---

1) Seckend. l. l. III, 90, ubi magna ex parte huius colloquii acta ex man. Archivi Vinariens. legere potes.

2) Wicelii epp. l. l. — Quo in libro omnes ad Iulium scripta epistolae hisce signis I. P. E. (i. e. Iulio Pflugio equiti) notatae sunt. Ea, cuius supra mentionem fecimus anni 1536 est.

dium animis complectebantur, nominandus est rex Ferdinandus, Caroli imperatoris frater, ac Ioachimus secundus Marchio Brandenburgicus, qui quod illustrissima ipsius gens, Brandenburgici-inquam-electores et Borussiae reges admirabili ratione perfecturi erant posteris temporibus, adeo Reformationis aetate quodammodo praeludebat[1]).

Tum Protestantismus tota Germania dominationem dilatare existimabatur. Suevico enim foedere soluto Ulricus dux per Philippum Hassiae landgrafium potestatem suam suumque territorium nactus statim divinas res secundum confessionem Augustanam reformavit. Quod exemplum plurimae Germaniae superioris urbes Caesari soli subiectae imitatae sunt; nec non in Germania inferiore idem factum est. Deinde Georgio duce mortuo Henricus eius frater et successor, adiutore Ioh. Friderico illam confessionem in Albertinam quoque Saxoniam introduxit. Simul in episcopatibus Misnensi et Numburgensi sacra Romana plane abrogari coepta sunt ac sine ullo successu intercessionem inchoavit ibi Iulius Pflugius cum sociis suis eruditis et nobilibus, qui alteri decanus alteri propositus intererat idque non parva autoritate[2]). Invisus Ioh. Friderico et Luthero factus ad Cardinalem Albertum Moguntiam con-

[1]) Ib. — cf. ep. Pflugii ad Ioachimum II. 1548, quam edidit Muellerus in »formula sacrorum etc. a I. Pflugio composita« 1803. p. LXI. praef. »Und weil dann E. G. zur Befürderung christlicher Vergleichung und eynigkeit one Zweifel zum hochsten geneigt und die deutsche nation dero nit lenger endraten soll« etc. — Sleidan. III, 94. 112. Ioachimum II. »conciliationi valde studuisse« affirmat.

[2]) Rüling »Geschichte der Reformation im hochstift Meissen p. 15 etc. — Iacob Tham conscripsit acta rerum gestarum in episc. Numb. Cic. inde ab 960—1590. III. fol., quos libros man. scr. possidet curia Cizensis.

fugit[1]). Neque autem ipse neque suae caussae amici quidquam spei suae abiecerunt. Primum enim Ioachimus non solum in electoratu suo sacra ea ratione renovaverat[2]), quam Pflugius non probare non posset, quam aliae quoque Germaniae inferioris civitates sequebantur[3]), verum etiam in conventu quem Ioachimus cum Ferdinando rege Francofurti habuerat, poposcerat is elector, ut insequenti anno utriusque partis theologi et laici laudabilem Christianorum concordiam reducerent[4]). Maximam autem spem intercessorum excitavit Caesar, qui collocutionem Wormatiae interruptam extemplo ordinibus Ratisbonam convocatis (1541) iterum recepit. Is igitur potestate accepta solus intercessores Iulium Pflugium, Ioh. Eckium, Ioh. Gropperum, Philippum Melanchthonem, Martinum Bucerum, Ioh. Pistorium: ex utraque parte ternos designavit iisque aequissimam quandam concordiae formulam examinandam tradidit[5]). Omnia auspiciis faustissimis incepta esse putantur. Namque mediae inter severos et Catholicos et Protestantes partes nuper confirmatae et auctae illo temporis momento iam maiorem autoritatem consecutae erant, quam ut Lutherus eas prorsus negligeret[6]). Melanchthon autem ma-

[1]) Epp. Cardin. Alberti etc. man. scr. Bibl. Ciz.

[2]) Cf. »Kirchenordnung im Churfürstenthum der Markken zu Brandenburg, wie man sich beide mit der Leer und Ceremonien halten soll.« Berol. 1540, quem librum cum ips. Pflugii adnotationibus manu propr. in margin. scriptis Bibl. Ciz. conservat.

[3]) Ranke l. l. lib. VII. cap. 3.

[4]) Ibid.

[5]) Sleidan. XIII. XIV. — Seckendorf l. l. — Ranke l. l. lib. VII. c. 5. — cf. inprimis Cam., vit. Mel. L.

[6]) Andreae Neideckeri ep. ad Iulium Pfl. Bamberg 1543. (Mueller epp. etc. p. 93). — Lutherus in explic. Psalm. 110 (a. 1539) haec

gnopere Iulium modestiam sapientiamque et optimum de religione studium praedicavit, in quo nihil fucatum nihil subesset sophisticum [1]). Deinde qui Augustae decennio ante autore confessionario suo reconciliationi non ita faverat, Carolus tunc totus fuit in dissensionibus componendis [2]). Postremo papae legatus quoque Contarenus idem consilium intenta cura adiuvabat. Is vir, cuius mores et litterarum scientia optima laude digna erant, singulari familiaritate et usu diu honestavit Iulium [3]). In oratione

habet: »Es fahen wol itzt etliche Klüglinge an zu flicken, wollen den Sachen rathen und den Hader schlichten, geben für man sollte auf beiden Seiten weichen und nachgeben. Die lassen wir zwar machen und versuchen, was sie können, gönnen ihnen der Mühe wol; werden sie aber den Teufel fromm und mit vierzig eins machen, so sind sie die ersten. Ich halte aber es sei mit solchem Flickwerk eben wie Jesus Sirach 22 sagt, als wenn man Scherben wollt zusammenflicken. Und sind zwar bereit der Schustern viel gewesen, so sich's unterstanden, aber auch umsonst gearbeitet und beide Drath und Stich verloren. In andern Sachen was unseres Thuns ist oder Ceremonien und Vergleichen äufserlich Ding betrifft, da mag man sich vergleichen und flicken was man kann: aber was den Glauben und Christi Reich belanget, da man sein Scepter will beugen und ungerade machen, da will er kein bessern und flicken haben. Und ob man sich's unterstehet, so macht man es nur damit ärger, dafs man es gar verleuret. Denn dies Scepter mufs und soll ganz und gerade bleiben, ohne alle Brüche und Lücken als die Regul und Mafs darnach man gleuben und leben soll.« Haec verbo tenus refero, quoniam optime significant rationem Lutheri ad partes quas medias nominavimus.

1) Verba Melanchthonis sunt ad Casp. Bornerum, quum ille Ratisbona redux Lipsiam venisset. (cf. Muelleri epp. l. l. p. 94.)

2) Stumpf I, 230 ubi legimus, Ludovicum Bavariae Ducem dixisse Caesarem nihil nisi pacem velle. Cf. Ranke l. l.

3) Bibl. Cic. insunt man. scr. Iulii Pflugii Acta Ratisbonensia, quae varia huc pertinentia continent. Hoc loco notanda est una eorum particula quae inscripta est »nostra cardinali Contareno exhibita etc.«

eius ad Germaniae episcopos in Ratisbonensi conventu habita mens vere Pflugiana spiravit [1]). — »Attamen nihilo minus omnis concordiae spes recisa est [2]).«

Namque Caesar quoniam ut semper sui ipsius quanticunque nobis aestimandum videtur, consilii commodique studiosus ita semper proximi cuiusque temporis momenti servus erat, aut nunquam totum volebat, quod valebat, aut nunquam totum valebat, quod volebat. Res universas diversis partibus tum distractas dominandi consilium idque summum suum se aliis per alias superandis consecuturum esse, Carolus quidem speravit. Sed nimirum eadem certe calliditate aliae ad alias ab eo defecerunt, quandocunque ipsis nimis potens nimis gravis perniciosusque videbatur fieri. Tum Ratisbonae ecclesiarum Germaniae reconciliationi operam dedit, ut extremum periculum quod ipsi, Francisco Gallorum rege et Solymanno inter se conjunctis, imminebat, viribus Germaniae unitis propulsaret. Verum papa non minus quam Gallia Caroli V opibus nimis crescentibus invidens ab omni Protestantibus concedenda libertate abhorrebat atque Caesaris studio cum multos alios Catholicos principes tum Bavariae ducem subduxit [3]). Iohannes Eckius ipse acerbissime contra Iulii fidelissimum socium Gropperum, vel potius contra libellum a Caesare traditum scripsit [4]). Maior principum pars qualemcunque concordiae formulam reiecit.

1) Cf. Seckendorf. l. l.

2) Casp. Borneri verba cf. p. 28. not. 1.

3) Ranke l. l.

4) Iulii Pflugii acta Rat. cf. p. 28 sub 3. Huc ex illis spectant: 1. Responsum D. Ioh. Eckii theologi VI. die Iul. 1541, quod Pflugius ipse inscripsit »contra librum Caesarianum.« 2. »Haec respondit R. D.

Pflugianae partes id aegerrime tulerunt. Caesarem vero munere suo graviter functum esse laudavit Pflugius, »cuius consiliis — inquit — quietis et ut mihi quidem videtur salutaribus, utinam voluntates *nostrorum* hominum respondissent! Sed Deus nos tandem ut spero respiciet!« [1])

Paullo post colloquium Ratisbonense Carolus V Lutheranorum imprimis auxilio mediam intravit in Galliam et Francisci victor ex bello decessit. Qua de caussa Protestantum auctoritas in diem augebatur. Iulium Pflugium Numburgae Cizaeque episcopum electum Ioh. Fridericus ab ecclesia vi arcebat ibique Lutheri doctrinas institutaque vel plantabat vel confirmabat. Alii episcopi sua sponte cum confessionis Augustanae autoribus sese conjunxerunt. Quum autem archiepiscopus Coloniensis Hermannus Catholicismum in territorio suo plane exstinguere moliretur, Caesar sibi curandum esse censuit, ne religionis libertas Lutheranae in Bataviam progrederetur, ne Hispaniae, cui terrae admirabiles opes, universam suam fere potentiam deberet, odia conciperet in se ipse, si forte orthodoxis scilicet Hispanis nimis indulgere res novas molientibus videretur. Praeterea concilium Tridentinum, quod Paulus huius nominis tertius pontifex Romanus pace inter Carolum V et Franciscum I vix facta ex asseclis suis »Romanensibus« composuerat, Caesari magnopere odiosum fuit. Prohibiturus igitur ne Paulus concilii vel potius Christiani orbis dominus exsisteret, Carolus V eo magis contra Protestantes hostilia parabat, quo artiore vinculo Catholicos sibi adiungere studebat [1]). Haud male Caesaris animum voluntatemque nudat, quum is Iulio iterum iterumque Ioh. Fridericum accusanti respondens »tua — inquit — caussa erit mea caussa.« Et re vera quamquam denuo a. 1546 collocutores utriusque partis Ratisbonam convocavit iisque praeter Fridericum comitem de Fuerstenberg et Mauritium de Hutten, episcopum Eystedensem, Iulium Pflugium praefecit, delegit tamen Hispanum Petrum Malvendam, Carmelitanum Erhardum Billichium, Ioh. Cochlacum, Ioh. Hofmeisterum: ut acerbissimum quemque Romanorum sacrorum defensorem ita minime idoneum qui concordiam efficeret [2]). Quin etiam Pflugius, Ioh. Friderici accusator, multis Protestantibus offensioni fuit [3]). Quid vero quod eodem ipso tempore Paulo tertio Carolus promisit, Protestantes concilio Tridentino se subjecturum esse? Quid quod Carolus societate cum Saxonum duce Lutherano Mauritio inita contra Protestantes quosdam dicto suo non obedientes bellum paravit? —

Postquam victoria apud Muehlbergam ex adversariis reportata, eorum maxime insignes duces Ioh. Fridericum et Philippum cepit, postquam Bohemiae, quae cum istis conspirasset Caspare Pflugio de Rabenstein duce, rebellionem oppressit: statim Carolus Germaniae omnipotens dominus sibi visus est. Tum Reformatio magnorum episcopatuum exstinguitur, tum demum Iulius Pflugius in ecclesiae suae potestatem venit. Is »in exilio suo cum locorum intervallo disjunctus esset

legatus Contarenus »Eckio« (quae responsa secundum Pflugii sententiam). 3. »Eckiana« hoc est respons. Eckii legato datum. 4. Iulii Pflugii contra reprehensionem I. Eckii Dr. defensio libri quem imperator — exhibuit.« Fortasse sit acerbissimum Iulii scriptum, nimirum generosam dico Iulii acerbitatem.

1) Iulius ad Bornerum (cf. p. 28 sub 1).

1) Ranke l. l. VII. 9. — VIII. 1, 4 etc.

2) Seckendorf. l. l.

3) Cam. vit. Mel. LVIII.

ab ecclesia sua animo tamen disjunctus non fuit neque dedidit se otio inerti sed hoc potius egit, ut cognosceret ea quibus populum suum iuvare aliquando et cunctae quam animo complectebatur Germaniae suae servire posset«[1]). Atque sub finem anni 1546 cum rege Ferdinando nunquam a Germaniae partium reconciliatione abalienato novam suam sacrorum emendandorum formulam ad illum quem Caesarem colloquentibus Ratisbonae exhibuisse commemoravimus librum accommodatam communicavit. Eo minorem enim spem communis omnium verae religionis et Germaniae salutis in concilio Tridentino posuit, quo maiore cum invidia quaecunque Reformationis studia reiicere videbatur. Pflugianae caussae fautores Wicelius, Michael Sidonius, Ioh. Gropper multique alii non aliter senserunt. Ferdinandus rex Pflugii consilium rebus Germaniae gerendis optimum esse iudicavit. Maximi autem momenti est, quod Caesar his viris assentiebat. Namque conscius sibi se tunc post victorias admirabiles reportatas in autoritatis suae quasi fastigio stare, in eo fuit, ut papa eiusque concilio posthabito vel neglecto rerum tam divinarum quam humanarum modos finesque statueret ipse. Accedebat vero, quod ne poterat quidem quam gravissime consulere in Protestantes, quorum ope modo Germaniae principes in potestatem suam redegisset. Itaque Ferdinando fratri aures dedidit, quum Pflugii consilium et qui id retractarent bonos quosdam viros doctosque commendaret. Extemplo Mauritius quoque, in Ioh. Friderici locum Saxoniae suffectus elector, Ioachimus secundus, duces Brunsvicensis et Palatinatus reconciliationem a Caesare inchoandam sublevarunt.

[1]) Iulii oratio ad episc. sui subiectos habita manuscr. Bibl. Cic.

Iam constat, Pflugianam formulam nescio a quo Romanensi corruptam esse[1]). Attamen ut integra mansisset, nihilo minus neque apud Catholicos neque apud Protestantes quidquam valuisset[2]). Quo tandem animo Catholicus Bavariae dux Guilelmus pontificem scilicet Paulum consuluit, acciperet ne Caesaris formulam an non[3])! Ne hoc quidem igitur severiori, quam Iulius volebat, Catholicae Romanae fidei accommodatum »Interim« Catholici principes comprobarunt. An illud Protestantibus, devictis Protestantibus satisfaciet? Potentissimis certe quos appellavimus principibus magnopere acceptum fuit. Sed is ignorat sacrorum defendendorum cupiditatis vim eiusque propriam naturam, qui ignoret, tanto acerbiore vehementia pro sua fide populos luctari, quanto magis propter suam fidem afflicti vel vim vel dolum suae fidei integrae imminentem vident. Secundis quidem temporibus quibus delectabantur Protestantes non minime adversariis concessuros fuisse scimus. Tunc vero ne transversum quidem digitum a legis quam veram Christianam perhibebant praeceptis discesserunt. Tunc Cermania tota Lutherani martyrio spectati sunt. Et nonnullos per annos animis hominum vehementissime excitatis non solum austera gravitate sed etiam Ari-

[1]) G. Mueller »formula sacrorum« etc. cf. p. 26 huius dissertationis not. 1. Is integrae Iulii formulae editor praefatione magnam diversitatem Iulii Pflugii scripti cum Caesareano Interim indicat.

[2]) Interim enim quod nominatur Lipsiense autore Melanchthone maxima ex parte scriptum et quamvis respondens multo magis quum Reformatorum doctrinae tum verae Pflugianae formulae nihilominus nihil valebat.

[3]) Ranke l. l. IX, c. 1 n.

stophanico quodam ingenio atque asperitate »Interim« istud impugnarunt[1]).

Pro tali consentientis populi studio et ardore, Pflugiani quamvis a nonnullis iisque potentibus principibus Protestantum adiuti essent nihil boni potuerunt consequi. Iam propterea quod Catholici primo ab initio concordiae formulam contemserant, intercessores illi fine suo exciderunt[2]).

Nunc praetermittamus facta, quae ista certamina subsecuta primum Passaviensis pactionis deinde pacis Augustanae caussae fuerunt et modo felicissimi victoris Caroli V superba consilia perfregerunt. Exponamus potius, qua ratione quam vim bellum pro religionibus a Germanis primum susceptum una cum Interim Augustano in Protestantismo explicando et in reconciliatorum ultimis conatibus habuerint. Utramque autem rem cohaerere apertum est.

Etsi Caesar confoederationem Smalcaldicam delevit, Protestantismus tamen praecipue Germaniae septentrionalis infractus erat[3]). Sed tanto magis Protestantes invidiosa artificia timenda sibi esse iudicabant, si quae Caesar machinaretur. Carolo quinto diffiderunt, qui contra ius et fas principes ipsorum vel cepisset vel retineret, qui Ioh. Friderici et Philippi consanguineum Mauritium ut contra principum libertatem ita contra populi religionem adhibere videretur. Huius Caroli artificium quoddam Interim existi-

[1]) Raumer »historisches Taschenbuch« IX. 1838 »über Pasquille, Spottlieder etc. im 16. Jahrhundert« (Voigt).

[2]) Cf. epp. a Pflugio illo temp. scriptas, quarum non paucas apud Mueller. »epp. etc.« l. l. habes.

[3]) Ranke l. l. IX, 4. X. etc.

matum est. In adversis rebus populo fides sua summum bonum exstitit. Qua pro fide vitam et sanguinem fortes honestique viri profuderant, principes illustrissimi turpissimam captivitatem perferebant. Integritas evangelicae doctrinae omnibus cordi fuit. Prae ceteris autem verbi divini praecones et sacerdotes Evangelici non solum, quoad aperta Catholicorum pericula imminebant, eos animos gesserunt sed etiam quum mutatis temporibus illa sentiendi agendique ratio e vita studiisque populi evanescere coepisset in scholam translocarunt et in theologia dogmatica explicanda retinuerunt. Unde aequitas et moderatio, quae ut Catholicis abnuerentur, tempora aliquamdiu poscere visa erant, a Protestantibus erga Protestantes omitti coeptae sunt. Atque omnes contentiones dogmaticae inchoatae sunt, quae quidem quam vigens et vegetus Protestantismus esset demonstrabant, sed simul quum adversariis criminandi caussas praebebant tum Evangelicorum et autoritati et fortunae secundae obstabant. Iam Protestantes Smalcaldici belli temporibus non acerbius vehementiusque contra Catholicos certaverant, quam brevi post inter se.

Ferdinando aequissimo et clementissimo imperatore[1]) res patriae nostrae felicissime procedebant. Mercatura magna copiosaque urbium opes et divitias proferebat. A necessariis artificiis ad elegantiora defluebatur. Bonae litterae artesque, quae scholis ubique institutis excolebantur, vitam humanam ornabant. Quamquam boni cives patriae vere amantes magnopere dolebant, quod Germania et rerum civilium et divinarum unitate carebat. Neque ullus vir meliore animo patriam complexus est Iulio Pflugio, qui Caroli

[1]) Ranke »historisch-politische Zeitschrift I, 223—339.

quinti deinde fratris eius consiliarii nominationem quidem abnuebat, sed cum illi tum huic praecipue unice gratus erat [1]). Adhuc in diversarum Germaniae partium reconciliatione perseverabat. A Ferdinando Ratisbonam a. 1556 vocatus est, ut quid ex imperii rebus publicis censeret principes ordinesque doceret. Quum illo tempore concilium generale exspectari non posset, animi omnium paene sua sponte sententiae assenserunt, colloquio instituendo rem inter Protestantes et Catholicos esse tractandam. Quaecunque haec res postulare videbatur, optime praeparabantur. Ex utraque parte viri summae autoritatis et doctrinae electi sunt. Prostetantum Melanchthon princeps. Catholici Michaelis Sidonius, Canisius Loiolita, Delphinus, Staphylus, Tiletanus, Rittovius et in adiunctorum numero Wicelius non minus aequitate quam eleganti eruditione praestabant. Ferdinandus ipse colloquii praeses appellatus in Iulium Pflugium hunc honorem transtulit. Mense Septembri a. 1557 collocutores Wormatiam convenerunt. — Hic ultimus ac memoriae dignissimus concordiae inter Catholicos et Protestantes revocandae conatus ut omnes ante suscepti ad irritum cecidit. Cuius rei caussae tunc Protestantum fuerunt dissensiones, quarum originis supra mentio facta est. Aliquot per dies earum partium collocutores inter se ipsos reconciliare molitus est Iulius Pflugius. — Frustra laboravit [2])!

[1]) »Des hochwirdigenn in Gott fürsten und herrn — Iulii Pflugs entstandene und fürgelaufene Sachen von 1547—1564.« Hoc man. scr. Bibl. Ciz. notat paucis argumenta omnium quascunque litteras accepit Pflugius.

[2]) Buchholtz »Ferdinand« (tom. ult.).

Postquam bellum, quod Philippus Caroli V filius Hispaniae rex in Galliam et in Italiam intulerat finitum est, postquam Paulus huius nominis quartus pontifex Romanus, qui nimia animi cupiditate adductus, concilio recipiendo renisus erat, vitam efflavit: Pius quartus Pauli quarti successor, multo minus morum quantacunque severitate quam iucunda vitae ratione et prudentia in maximis civitatum caussis spectata eminens, per peritissimos internuntios conditionesque callidissime propositas, omnia propria studia Hispaniae, Galliae, Imperii submovit ac concilium generale ita instituit et peregit, ut Catholicismus medio aevo formatus speciem, Protestantismo maxime oppositam, sive indueret sive retineret, ut summa omnium rerum divinarum potestas Pontifici Romano attribueretur [1]).

Iulius Pflugius [2]) et qui tum Pflugianae caussae amici erant inprimis Antonius archiepiscopus Pragensis eiusque vicarius Dr. Nicolaus Cromerus, vir animi libertate et cognitione litterarum praeclarus, ii cuncti Ferdinando studiosissimo adiutore prohibere enitebantur, ne inimicitiae religionum in omne tempus futurum implacabiles concilii institutis fierent. Qui viri inde ab anno 1560 usque ad ultimam concilii Tridentini sessionem primum legatorum a papa ad Germanos proceres missorum eiusque internunciorum, maxime Delphini, Canisii, Stanislai Hosii animos deinde Tridentinum conventum ipsum ad clementiam et reconciliationis studium efficiendum traducere moliti sunt.

[1]) Ranke »Geschichte der Päpste.« Tom. I.

[2]) Optima insequentis de Pflugianis narrationis documenta sunt in Cypriano »tabell. eccl. Rom. etc.« permultae virorum, qui supra nominantur, epp.

Vix Pflugiani Ferdinando et Alberto Bavariae duce magnopere adiuvantibus impetraverunt, ut papa quod attinebat ad Germaniam communionem sub utraque et indulgentiam lenitatemque erga Protestantes si qui in ecclesiam Romanam redituri essent concederet. — Magnum vero et honestum consilium quod Iulius Pflugius eiusque socii pro communi omnium Christianorum et concordia et salute perficere totis animis studebant: minime sunt consecuti.

Uno anno post Tridentinum concilium habitum mortuus est Iulius Pflugius. Gratissimi eius subiecti non minus Protestantes quam Catholici monumentum »optimo episcopo« fecerunt.

CAPUT TERTIUM.

Prioribus huius dissertationis partibus demonstrasse mihi videor una cum Protestantum et Catholicorum partibus ut nos dicimus extremis etiam medias partes rebus publicis agendis interfuisse. Deinde me satis arbitror explicasse, quotiescunque inter cupidos Lutheranos et pertinaces Catholicos inde ab Augustana confessione pronunciata usque ad concilii Tridentini exitum reconciliatio quaedam appetita est, omnia semper huius rei studia a Iulio Pflugio caussaeque Pflugianae sociis suscepta ac patrata esse, neque unquam casu et temere iuxta maiorum nescio quarum rerum gerendarum itinera exstitisse sed potius a viris magni et ingenii et animi libere facta temporibus quaecunque inciderunt libere accommodata atque per se nexa esse quae non amplius neganda est interna necessitate historica.

Nec non vidimus, id, quod Pflugius in rebus agendis appetebat, ex doctrina sua quam professus est morum et ex vere philosophica sua vel res praesentes iudicandi ratione consecutum esse. Alterum alteri erat aptum. Ab omni enim animi perturbatione, ab omni nimio atque eo quod parum videbatur abhorrens, persuasit sibi, veterem ecclesiam non minus veri et iusti defendere quam novam verum et iustum moliri. Quod quin intelligeretur, nimis vehementi partium studio vel caecitate animis indoctorum offusa prohiberi cognoverat. Itaque Iulius sperabat fore, ut colloquiis institutis viri boni et eruditi, qui in utraque parte aliquid valerent, formulam reformationis excogitarent, quae utrique parti optimo iure satisfaceret. Prae ceteris autem in animis nimirum totius populi vim habere eiusque moribus quam plurimum conferre studebat. Id aliqua ex parte autoritate et exemplo suo consequi potuit, qui agendi rationem ab omni ira studioque partium alienam amplexus esset. Sed plurimum valebat illa aetate in rebus publicis eloquentia, quae ut in grandi et admirabili Ulricorum de Hutten, Lutherorum, Frankiorum lingua Germana ita in Latina lingua secundum Ciceronem exculta exerceri coepta erat. Iulius Pflugius ipsi aliquando »illud autem« — inquit — »quod unum opto maxime praeterire non possum, cum Germania nostra hisce suis miscere temporibus desideret voces bonorum virorum, qui dent consilia quieta eique prope languenti medeantur, me eum diem exspectare avidissime in quo exsistant viri boni atque eloquentes qui omnem vim suam facultatemque dicendi conferant ad bonum publicum idque efficiant, ut remissa animorum contentione illo incumbant ii, quos penes est potestas, ut concors aliquis patriae nostrae status collocetur. Atque hoc nisi eve-

niat et rempublicam prope ruentem tale quiddam fulciat, quod me qui caritate patriae valde moveor maximorum malorum metu liberare possit non equidem reperio. Quo mihi uberior videtur esse posse fructus, quem eloquentia hoc tempore afferat, cum autoribus, quibus dignitatem veram adiungat, tum vero reipublicae ipsi, si eam gravibus periculosisque procellis diu iactatam industria dissertorum virorum in portum deduxerit![1])

Quoniam igitur quaecunque ars dicendi sive inflammando persuadere sive persuadendo inflammare vult animos[2]), nobis interrogandum est, quam ad rem Iulius orationibus suis, quas saepe habuit aut scripsit ipse, vel aliorum bonorum Germanos allicere studeret. Ad religionis illas doctrinas praeceptaque, quae ipse optima esse statuit? Minime. Quas enim formulas ecclesiae reformandae in publicum edidit, eas concordiae caussa ecclesiae scripsit. Quid igitur Ecclesiae concordiam et unitatem spectarunt Iulii consilia? Ne id quidem dici potest. Namque Pflugius Ecclesiae unitati non nisi propter unitatem Germaniae operam dedit. Unitas patriae vero patriae salus Iulio visa est. Iam ea igitur salus summus fuit finis, quem sibi proposuerat. Quod quidem satis apparet ex ipsius verbis et quae modo et quae supra laudavimus[3]). Pflugius Germanorum animos abducere conabatur ex dissensionibus certaminibusque de

[1]) Iulii ep. ad Ioach. Camerarium, qui ipsi Cic. Tusc. disp. editionem suam dedicaverat. (Misniae pridie nonas Iunii 1538.)

[2]) Cf. Aristot. Rhet. I. et Dion. Halic. de Isocrate 5, 544. — Hos antiquos autores laudo, propterea quod Pflugii aetate homines nostri iis operam navabant et per hos quodammodo docti erant artis oratoriae rationem.

[3]) Cf. supra p. 21.

religione exortis, quae ante omnia gloriae, dignitati et saluti patriae obficere viderentur.

Dixerim aliquid ingenii antiquitatis, cuius ut studiosissimus ita peritissimus fuit, in Pflugio inesse, qui omnes vitae rationes ad rempublicam, ad civitatem referat[1]). Hoc loco longum est demonstrare, quam unice cognoverit, quid Platoni, quid Aristoteli de humanitate, de moribus per rempublicam ipsam vel una cum republica excolendis placuerit. Iulii vero ipsius politicas doctrinas ostendam idque ut praefatione indicata est consideranda perfectissima illius oratione, quam de ordinanda Republica Germaniae a. 1560 emisit. Cuius exordio secundum antiqua sua exempla totius operis caussam, ingressionem et finem summum exponit. Quum vero ex eo optime id quod de Iulii studii summo fine statuimus intelligi possit, hoc ipsum impertire nobis liceat[2]). »Quum animadvertam« — inquit — »principes populique Germani, rempublicam nationis nostrae hoc tempore suo graviter laborare, incredibile est, quanta animi sollicitudine afficiar. Quando enim maiores nostri hanc nobis satis beatam reliquerunt, si ea forte concideret, statuere non facile possem, utrum id miserius futurum esset nobis, an vero turpius, cum praesertim nullum illius

[1]) Cf. inprimis »fuit namque religio fundamentum — quo idem imperium primum niti coepit et postea sustentatum fuit.« (orat. de ordin. Rep.)

[2]) Iulii episc. Numb. oratio de ordinanda Republica Germaniae ad Germanos etc.« manuscr. Bibl. Ciz. et impress. in »Goldasti opere politicorum imperialium.« (cf. Acker. l. l. p. 19. — Easdem sententias exposuit Pflugius aliis orationibus, quas et ipsas Bibl. Ciz. manuscr. possidet. Cf. maxime eam, quae »ad reverendissimum patrem quendam« inscripta est.

malum a nobis secunctum esse possit, et talis se offerat occasio hoc tempore, ut Respublica eadem nostra non solum conservari, sed etiam ornari facile possit. Quo minus committendum puto, ut hanc non complectamur animis omnes nec in eam quantum pro sua quisque nostrum virili parte potest conferamus. Quod vero ad me attinet, etsi tenue est, quod possum ego, tamen ne desim meo erga Germaniam nostram qualicunque officio, quae mihi de huius commodis ornamentisque omnibus cogitanti in mentem veniunt, explicare conabor, ut si forte eventus bonus voluntati meae atque consilio responderit, res nostrae secundae non minus me delectent quam adversae hoc tempore cruciant: sin minus haec tamen vox meae perpetuae erga patriae voluntatis testis esse possit. Ac quia operam dare debemus omnes, qui patriae caritate movemur, ut status eius sit longe optimus: praeclare agitur nobiscum, quod maiores nostri rempublicam nostram tam bene constituerunt, ut nunc non de nova huius forma inducenda sed de veteri vel retinenda vel recuperanda consilium nos inire oporteat. Itaque primo ostendam ut illa e calamitoso quodam statu suo in eum qui plane beatus esset fuerit translata, cum Imperium eius initio constitueretur; deinde labes suas postea ita contraxit, ut e beato illo statu in calamitosum recideret monstrabo. Postremo qua via et ratione non solum restitui ea in locum, unde decidit, bonum sed etiam excoli atque amplificari possit docebo.«

Statim apparet, Iulium non minus de rebus civilibus quam de religione vel ecclesia *conservandi quoddam studium* prae se ferre. Eius enim in mente insidebat Imperii species divina quaedam et perfectissima. Imperii forma, quam Pflugius laudabat, eadem erat atque illa, cuius primis medii aevi temporibus parens et autor ecclesia Romana facta erat.

Primum Iulius demonstrat philosophica ratione unius imperium optimam esse reipublicae formam, propterea quod ad similitudinem procurationis eius qua Deus unus universum hoc quod cernamus moderetur proxime accedat. Deinde summa cum prudentia et eximia rerum gestarum cognitione quamvis tantummodo summas attingat exemplis populi Graeci et populi Romani sententiam suam defendit. Sic Graecia, optimatium administrationis instar multas in partes civitatesque divisa, simultatibus internis ac factionibus perniciosis exortis — id quod Germaniae documento esse possit — primum Macedonibus, posteaque Romanis subiecta est. Romana vero Respublica quamquam multa per saecula ab optimatibus regebatur, crevit tamen mirabiliter et effloruit »id tamen cum illi intra unius urbis moenia concluderentur.« Postremo et Romae ipsi et provinciis opus fuit imperio[1]). A quo imperio postea Germani, virtute et moribus excellentes non solum sese liberaverunt, sed etiam in Romani imperii finibus, in Gallia, Hispania, Britannia, Gallia Cisalpina civitates condiderunt novas. Qnod quamquam solidos quod debebat fructus patriae non tulit. »Neque enim id quaesierunt milites nostri eorumque duces, ut quas cepissent civitates et populos gentesque vi-

[1]) Conferendum est cum hoc Iulii iudicio Taciti ab excessu Divi Augusti libr. I. cap. 2 ubi inter alia »neque provinciae illum rerum statum abnuebant suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium etc.«

cissent, adiicerent imperio patriae quod necdum constitutum erat, sed ut illam intestinis factionibus dissipatam fugerent et in exteras provincias Romanorum tanquam in colonias migrarent: nec amplius de patriae sed earum potius regionum in quibus consedissent commodis ornamentisque cogitarent.« Carolus magnus primus tandem perfecit, ut Germaniae nationes unius imperio parerent universae et unum Deum Iesum Christum venerarentur. Tum Germaniae et autoritas et salus una exstiterunt. Virtutes animi et mentis coli coeptae erant. Carolus autem visus est recuperator illius imperii, quod olim Romanum erat. Hoc loco Pflugius dolet, quod »liberi Caroli atque posteri Imperium hoc tanquam hereditatem paternam« et adibant et dividebant [1]). Qua ex re statim tempora maxime adversa consecuta sunt. Sed viri magni ingenii et animi Henrici, Ottones florentissimum imperii statum deo adiuvante reduxerunt. Sub eorum enim auspiciis lex Christiana una cum iure aequuabili exercetur. Iustitiam, quam Aristoteles docet, tunc apud Germanos efflorescere Pflugius videt [2]).

---

1) Nemo nescit, et ipsam Ecclesiam Romanam contra hunc Germanorum populorum morem saeculo imprimis nono quodcunque molitam esse.

2) »Est quidem ea iustitiae ratio, quae uni tantum tribuit, quantum alteri, sub quam contractus atque maleficia cadunt, ad retinendum bonum aliquem atque tranquillum reipublicae statum vehementer apta, sed non minus apta quae praemia decernit bonis atque magnis viris et dum conditionis cuiusque virtutis atque meritorum rationem ducit, non tantum impertit infimis quantum summis nec tantum iis qui sua quam qui publica negotia curant. Atque ut utraque iustitiae ratio omnem hominum societatem probe tuetur et concordiam coniunctionemque fovet

Nam illo tempore *in concordi atque congruenti concentu omnium reipublicae ordinum, qui inter se ut gente, auctoritate, meritis ita dignitate et praemiis diversi essent, et salutem et potentiam imperii unicam fuisse positam.*

Ut primum autem post Friderici secundi h. n. Caesaris interitum tristem quum imperium imperatore duodeviginti annos careret, ea concordia perturbata est; ut primum magistratus principesque singuli in civitatibus atque ditione sua munus imperatoris obiverunt et multa eorum quae antea imperatorum erant propria, ad se transtulerunt; ut primum — quid plura? — Optimatum quaedam gubernatio facta est: tum contendit Iulius Germaniam nostram primas contraxisse labes. Quamvis respublica quoad boni atque antiqui mores in natione viguerunt, domi satis bene sese haberet, tamen foris minus gloriose, quoniam dignitas atque maiestas imperatoris postea non iis opibus neque ea potentia qua oportebat sustentata fuit. »Quin ab eo tempore magis ac magis extenuata fuerunt iura atque vectigalia imperatorum ut post Carolum IV. e publico nostro et vectigalibus imperii non modo non nervos bellorum sed ne pacis quidem subsidia amplius imperatores nostri habuerint.« Iam tempora inciderunt, ubi vi non legum autoritate caussae dirimebantur. Ut principes adversus Caesarem ita equitum ordo adversus principes surrexerunt. Ubique Germaniae iura et mores commutata.

---

atque alit: ita« etc. — Cf. Aristot. Eth. Nic. libr. V inprimis cap. 7. Prudentissime coniunxit Pflugius distinctionem civitatis ordinum cum Aristotelis philosophica iustitiae distinctione.

Maximiliano tandem regnante novus reipublicae status honestissimo studio ordinari coeptus est. Ac quum Carolus V opibus admirabilibus instructus et singulari virtute ornatus [1]), ei successisset, affulserunt spes, quibus maiores nullo modo concipi poterant. »Cuius sub imperio ita exculta fuerunt ingenia nostrorum hominum et rei militaris scientia, quam a maioribus nostris quasi per manus traditam acceperant, ita viguit, ut patriae non solum adiumento sed etiam ornamento esse possent. Tamen tanta morum perversitas incidit in tempora eiusdem imperatoris, ut patriam ipsi nostram oppugnavisse magis quam iuvisse videamur. Quamdiu in nostra natione de religione dei immortalis concors et idem sensus fuit, homines nostri patriam amaverunt et communem huius utilitatem commodis suis privatis anteposuerunt, ut cum imperium nostrum tenuius esset his tamen moribus status eius conservaretur.« Itaque schismate inprimis exorto illa ordinum salutaris concordia et concentus prorsus est disiunctus. Rustica plebs non ita ut ante nobilium potestatem observavit. Nobiles et principes non solum inter se certarunt, sed etiam contra Caesarem, non solum inter se sed etiam »cum vicinis regibus iisque infestis nomini nostro in societatem nefariam vexandae patriae atque Germaniae nostrae coiverunt, cum contra bonos maiorum mores tum maxime contra ipsum naturae ius.« Iterum Iulius illud Christi verbum in memoriam revocat »tanquam oraculum«, fore ut regnum omne

[1]) Iulius Carolum plurimi aestimavit, quem semper mediorum partium studiis avidissime fidelissimeque favisse putaret. (cf. Iulii laudat. Caroli V Caesaris l. l. —).

pereat quod in se divisum est atque distractum. — Quibus de caussis Germanos et inprimis episcopos obsecrat et obtestatur, ut eruditioni verae excolendae et moribus suis emendandis summam operam navent, ut Protestantibus si quae vera et iusta postulant ea concedant. Et ipsos Protestantes admonet, ut animos suos implacabiles exuant. »Cogitent quam periculosa sit contentio omnis ..... Cogitent quid acciderit Dionysio Alexandrino doctissimo patri, qui cum in refellenda haeresi Sabelliana egregiam operam ecclesiae navasset: tamen cum eius animus in contentione exarsisset nescio quo modo acrius et concitatior esset quam opporteret a moderata veritatis ratione eo deflexit, ut non solum Sabellianam haeresim confutaret, quod bonum erat: sed etiam contrarium huic errorem inveheret, id quod non minus malum erat, quam haeresis ipsa Sabelliana« [1]).

Schismate igitur ecclesiae sublato Germaniam denuo et potentissimam et felicissimam fore certissima Iulii spes est. Illud vero non minus vitio morum existimat exortum esse Protestantum quam Catholicorum. Quare in sequentibus suae orationis partibus totus est in recensendo vel praescribendo, qua ratione removenda sit corruptela morum atque restauranda antiqua disciplina et honestas [2]). Pla-

[1]) Iulius loquitur hoc loco de Arianismo.

[2]) Quaecunque Iulius scripsit et in publicum edidit documenta sunt, eum in morum emendatione cuius parens Reformatio erat, meritum et maximum et proprium Reformationis posuisse. Atque ea ipsa de caussa sibi persuasum erat dissidium inter Protestantes et Catholicos exortum moribus emendatis inprimis clericorum tolli posse. Pflugius ipse unica morum integritate excellebat. Pro sua morum doctrina et ipsos Pro-

tonis, quem omnino saepe laudat, et Xenophontis sententiae, Lacedaemonum et ipsius Germaniae leges atque instituta referuntur. Quum praeter cetera agatur de pace et tranquillitate Reipublicae conservanda, Iulio renovandam esse placet illam legem Maximiliani, quae vetat »ne qui foederibus vel cum hominibus Germaniae vel cum exterarum gentium regibus se ullo tempore iungant.« Et item renovandum esse »saluberrimum legis de pace publica caput, quod constituerit, ut communi omnium ordinum ope arma e manibus seditiosorum extorqueantur.« — Hoc loco mihi quaestionis dignum videtur, quod Pflugius de libertate quaecunque animis sentiuntur typis mandandi iudicaverit. Ipsa enim Reformationis aetate ars modo inventa typographica non solum litteras excolendas admirabili ratione adiuvit sed etiam conatus eorum, qui rebus novis studebant. »Non praetermittam — inquit Iulius [1]) — nimirum rem pessimi exempli non ita pridem in Germaniam nostram inductam esse, ut levissimis quibusque nebulonibus liceat bonorum virorum nomina non solum sermonibus sed etiam scriptis conscindere: et quorum constantia, virtus et fides erga imperatorem nostrum atque rempublicam perspecta est

---

testantum mores reprehendit quoad nimirum nimis cupidi agerent. Nimiam cupiditatem et contra summam religionis legem esse, contra mutuum amorem et contra veram morum doctrinam.

[1]) Eandem de libertate qualescunque libellos imprimendi sententiam invenias in ep., quam Erasmus Adriano papae a. 1523 scripsit. (cf. Er. epp. l. l.) — Quod acerbioris ingenii Lutherani ut Flasius Illyricus aliique Jenenses theologi illo tempore de eadem re censebant, id docet liber »Resp. pro prelorum libertate« Ienae 1561. Haec libertas istis ius divinum esse contra principes visa est.

et quasi in illustri loco sita eos acerbissime calumniari: commendare autem in vulgus seditiosos ut quantum in eis est iam non tam fraudi sit malis perperam facere, quam bonis in officio permanere — — — quod quanto minus ferendum est tanto maiore severitate in autores — — eorumque fautores statuendum esse videtur.«

Iam finis totius orationis hic est. Imperatori auctoritatem potestatemque iustam quae aliquando imperii fuerint recuperandas esse. — Nam in Germania ipsa homines quidam factiosi vivunt et tales ut nisi potestate aliqua maiore a consiliis perniciosis deterreantur nec legibus obediant nec patriam perturbare desinant. Deinde »Turcae ac quidam vicini nostri id agunt, ut imperium nationis nostrae quod idem Romanum aut transferatur alio aut funditus intereat et nos non solum hoc insigne ornamentum nostrum, sed etiam libertatem amittamus.« Certe alterutrum horum evenire necesse »ut vel imperatori maior potestas adiungatur vel respublica intestinis motibus et exterarum gentium armis confecta ipsa pereat.« Una vero cum Germania, Christiani orbis quasi arce, reliquas etiam Christianas gentes esse ruituras Iulio videtur. Si imperium semper mansisset non debilitatum et integrum, Turcas Byzantium non eripuisse reipublicae Christianae nec fines suos eo protulisse, ut iam e Pannonia imminerent. Qua via autem imperium ad integritatem suam redit? Pflugius haec respondit. Fuerunt olim — ut narrat — proceres quidam Germaniae nationis in Longobardia, qui »cum primum regnum suum constituerent, de suo, quod publici iuris nullo tempore fuerat in publicum tantum contulerunt, ut rex eorum censum honestum habere posset: quanto aequius esset, ut nos impe-

ratori nostro redderemus, quae maiores eius aliquando habuerunt?« Sed quum imperii principes vix a iure inveterato cessuri essent, universus populus suae ipsius salutis caussa nova vectigalia, novas opes in praesens certe tempus Imperatori praeberet. Item censet Iulius, imperatori concedendam esse in universam patriam eandem potestatem quam principes aliique magistratus in singulas suas civitates habeant; ubique liceat ei necesse esse publico nomine et totius reipublicae caussa arma imperare populis suis. Quin etiam orator postulat, ut uni imperatori arbitrium belli pacisque permittatur, ut quaecunque e republica habeat per se solus imperare vel efficere possit. »Quod quum« — haec dicit Iulius — »nun ei non liceat nisi ante quod agere instituit ordines Reipublicae ratum habuerint, fit more nescio quo ut qui principi nostro parere debent, eorum ipse nutum intueri rogatur.« Eos autem qui in consilium publicum adhibeantur, maiorem sui privati quam publici commodi rationem habere solere: nec ante probare, quod imperator petat, quam eis rerum quarumcunque nec satis bonarum atque reipublicaae utilium licentiam concesserit. Prae ceteris isto a Iulio proposito consilio prohiberi, quominus imperator occasionem optimam quamque rei bene gerendae sine ulla mora capescat. Celeritate vero Iulium Caesarem »primum imperatorem« gloriosissimas victorias reportasse.

Eas vero sententias quibus caussis Pflugius defendit vel probabiles reddit?[1]) »Imperia« — inquit — »quae vi constant et populos duriore servitute premunt minime probo. Illa autem moderata, quae populos liberos non affligunt sed defendunt, nec eosdem opprimunt sed in officio tamen continent et ab intestinis motibus avertunt, non possum non probare. Maxime si ita ferant tempora ut necesse sit horum potentia iusta aliorum vim iniustam et crudelem frangi.« Sic laudat imperia Cyri, Caroli Magni, Ottonum, Henricorum, Fridericorum. Huc quoque referendum est quum Iulius »fallitur enim« — inquit — »quicunque libertatem suam in eo constituit, ut quae facere debet non faciat: cum praesertim ea demum vera sit libertas, quam Deus ipse praecordiis hominum inserit, ut non inviti faciant quod officium rectum praescribit, sed libenter et legibus bonis obediant et magistratus suos observent et caveant, ne contumacia sua horum auctoritatem convellant. Quod quatenus homines faciunt, eatenus servitudinem carnis vitant et voluntatem suam voluntati Divinae plane vera cum libertate accommodant.«

Iis igitur de caussis unius summum imperium Pflugius commendat Germanis. Quod tanto meliore iure facere sibi persuadetur, quanto maiore Dei gratia, opibus et virtute gens Austriaca quam penes imperium est excellit. »Deus« — inquit — »pro clementia sua infinita summam rerum nostrarum ad eam nimirum gentem detulit, per quam quantum tribuere vellet Christianis gentibus declaravit, cum signum crucis e coelo ostenderet tempore eo, quum Rodolpho,

[1]) Species verae libertatis, quae in mente Iulii erat et quam loco laudato explicavit; respondit primo ut hac notione utar philosophiae Iulii principio. Quod congruere ad illud Ciceronianum praeceptum, animus sapientis sit ab omni perturbatione liber, attigimus supra. Aequitas et constantia tranquilli animi ut a dominatione libidinum liberae sunt ita ratione cum libera iura divina et rationem generi humano a Deo insita esse agnoscunt.

qui primus ex ea familia imperator creatus fuerat, Aquisgrani more maiorum diadema imponeretur.« Brevi post Rodolphi posteri ratione vere admiranda magnis rebus aucti sunt atque plurima regna, populos, nationes, quae imperium omisit, sine sanguine sibi recuperarunt. Maximilianus postremo maxima praeparavit, quae Carolus quintus non solum perfecit sed etiam victoriis terra marique reportatis, novo mundo invento incredibili modo auxit. Iam Carolum V, Ferdinandum fratrem eius, Philippum Hispaniae regem, Ferdinandum et Maximilianum, Ferdinandi Caesaris filios ut potentissimos beatissimosque ita piissimos et omni animi mentisque virtute ornatos Iulius Pflugius multis verbis describit. Namque ei cordi est »efficere: gentem Austriacam ad imperium orbis terrae et summum decus genitam esse et Deum per hanc, quam tantopere auxisset rebus Germaniae fessis atque afflictis — — succurrere videri.« Quibus de caussis non solum iustum et aequum, verum etiam utilissimum esse omnia iura imperii Austriacis reddere, qui per se potentissimi imperio patriae, orbi toti Christiano optime consulere possint. Tum Germaniam efflorescere ut olim floruisse Carolo Magno imperatore!

Id argumentum est orationis Pflugii, quae elegantissima politissimaque Ciceronis lingua scripta animum illum Demosthenis, cuius verba factis facta verbis respondebant, dico illius honestissimum verissimumque patriae amorem, mihi videtur spirare. Nihil nisi patriam spectat. Pontificis Romani, Romanensium concilii ne uno quidem verbo mentio facta est. Ceterum haec quam consideravimus oratio tota fere versatur in rebus civilibus. Cuius quaestio principalis est, qua ratione et salus et gloria *Germaniae* recuperari

possit. Atque respondit Iulius hoc fieri posse non nisi imperio et imperio vere potente restituendo. Itaque Pflugius nunquam unitatem totius ecclesiae per se defendit vel appetit minimeque istam, quae pontificibus Romanensibusque superbis cordi fuit, unitatem. Id alia quoque illius oratione[1]) colligas, quae est »de religionis statu universo eoque optimo.« Eiusmodi vero status Iulio haec tria continere videtur: gloriam dei i. e. veram pietatem, sanctitatem disciplinamque Christianam et unitatem ecclesiae, quibus deinceps opposita esse haec tria: superstitionem, coruptelam morum et haeresim vel schisma. Neque in hoc opere ullus locus invenitur, ubi noster Pflugius catholicam, quae transalpinis (ultramontanis) placeat, ecclesiam uno verbo attigat.

Iulius Pflugius enim ut iam vidimus totus est in patriae caritate. Ex oratione de optimo religionis statu optime intelligimus, quam rationem inter civitatem et ecclesiam statuerit. Ibi enim patriam comparat cum nave, quae homines vehit per vitae maria. Religio autem a Deo instituta est, ut cives propter Dei amorem cum disciplinam tum omnes veras virtutes colant, in quibus non solum eorum qui vehuntur una cum conservanda nave, et ipsa Dei dono, salutem positam esse habet, sed etiam generis humani cum Deo omnipotente et summo patre coniunctionem. Iam nullum periculum navibus maius incidere potest, quam dissentio et tumultus, quo exorto vehentes in periculoso semper mari curas nuvis negligunt, alii contra alios

---

[1]) Haec oratio summa cum arte composita man. scr. Bibl. Cic. nondum in lucem edita est. Brevissimo tempore post eam quam accuratius supra deliberavimus scripta esse mihi quidem videtur.

certant, dum omnes una cum nave interierant. — Itaque Christianae legis primum caput est mutuus amor et concordia. — Et iis de caussis Pflugius haec dixit: »Simulac ecclesiae nostrae (subintelligas quamque navem, quamque civitatem propriam suam religionem habere, quae nihilo minus communi cuidam doctrinae respondere potest) concordiam amiserunt, sublata est e coetu hominum nostrorum benevolentia, e republica iustitia atque pax et vita et moribus virtus ac vetus disciplina.« Deinde alio loco: »Sic enim statuendum est nobis, utrum hoc tempore malimus leniendis iis, quae exulcerata sunt, cum nobis ipsis tum patriae consulere, quam factionibus nostris atque contentionibus *et hanc perdere et nos cum ea perire tandem omnes, eo quod nullum eius malum a nobis seiunctum esse potest.*«

Ea igitur ratione Iulius omnia hominum studia, omnes virtutes, denique religionem ipsam ad rempublicam et civitatem refert. Non aliter igitur ille de religione sentit, atque optimi sapientissimique antiquae Graeciae et Romae viri. Neque ulla forma Germaniae imperii grandior splendidiorque cogitari illis quidem temporibus potuit, quam Pflugii.

Cuius viri honestissima studia non paucos Reformationis ipsa aetate probasse docuimus. Atque aequalis eius quidam optime canit:

»Quis sic Teutonici demulsit corda senatus
Ut movit doctus Iulius illa sonis,
Iulius, Hyblaei cui reddit Gratia mellis,
Pro patriae quoties verba salute facit [1].«

[1]) Peiferus in eleg. ad Dam. Pflugium. — »reddit« et »facit« conieci ex »dedit« et »fecit«.

Attamen id quod volebat non consecutus est. Nam fuerunt — ut ipse dixit [1]) — non pari multi hominum — qui ita abhorrebant ab otio et pace omni ut non modo non ferrent aeque animis quieta atque salutaria consilia, sed etiam auctores eorundem odissent male et acerrime insectarentur. Atque haec quidem acerbitas cum per se mala erat atque iniqua, tum multos praestantes viros ab eo, quod salus publica postulabat, officio patriae iuvandae deterrebat.« Haec quidem Iulius. Sed mihi dicendum videtur, maiores nostros libertatem fidei profitendae unam solam omnibus rebus posthabitis summum bonum expetendam esse statuisse. Maiorum nostrorum religionis caritas caritate patriae praestitit. Unitatis denique Germani imperii vel comparandae vel restituendae studium ut ita dicam illis non populare fuit.

Hoc loco mihi liceat res nuper decennio fere ante hoc tempus gestas memoria repetere. Tum enim boni et valde eruditi viri maximo certe cum patriae amore Germaniae unitatis imperiique consilium denuo exceperunt. Et ex numero eorum fuit ille mature mortuus iuvenis qui similibus caussis earum caussarum, quas Pflugius a. 1560 de Austriacae gentis sola vel praevalente Germaniae dominatione attulerat, Borussorum Augustis regibus summum universae Germaniae imperium attribuendum esse censuit [2]).

In Gallia, ubi reges iam inde ab saeculo XV. summam imperii tenebant, valuerunt ecclesiae reformationis tempo-

[1]) Cf. p. 53 sub not. .

[2]) Otto Abel »das neue deutsche Reich und sein Kaiser.« Berol. 1848. Cuius libelli autor — ut alia omittam — eandem historiolam de Longobardorum principibus enarrat et eodem consilio, quo Pflugius. (cf. p. 49.)

ribus eae partes, quarum socii nomine Politici[1]) propter patriae suae unitatem concordiamque ad clementiam et aequitatem ergo Hugenottos hortabantur, plurimum ut nemo nescit in rebus gerendis, in pace nimirum ac reconciliatione efficienda.

Attamen in Germania et de unitate ecclesiarum et de unius solo imperio fortasse in omne tempus ut veteres quaestiones res ipsae gestae solverint ita eaedem novas vera cum Germaniae quae nunc facta est salute agendi rationes viasque monstraverint.

---

1) L. Ranke »französ. Geschichte vornemlich im 16. u. 17. Jahrh.« lib. IV. cap. III.

VITA.

Natus sum Guilelmus Albertus Iansenius Cassellis, electoris Hassiae sede, huius saeculi anno XXXIV. Pater meus Albertus Catholicae fidei addictus ex patria sua, quae est »Kaltenkirchen« dicta, quam in Borussiae finibus sitam alluit Mosa, in illam urbem erat vocatus ibique officinae cuidam infectoriae praepositus. Mater mea autem est Anna, Cassellanae gentis Schroederianae, confessionem sequens Reformatam.

Quum tertium annum agerem parentes Cizam, Saxo-Borussiae oppidum, transmigrarunt, ubi pluribus annis post Gymnasio traditus sum. Illo tempore F. Petrum, Graecarum inprimis litterarum doctissimum praeceptorem, quo rectore nunc gymnasium Saraepontanum floret, optime de me meritum esse me pronuntiare posse magnopere gaudeo. Circa S. Michaelis festum anno 1850 quod diu cupiebam in scholam Portensem Carolo Kirchnero rectore receptus sum. Atque eo amoenissimo loco excellentissimorum virorum non solum institutiones mihi obtigerunt, sed etiam aliae et artiores necessitudines. Iam piissime gratissimeque mihi mathematici A. Iacobi a. 1855 vita defuncti mentio facienda est, cuius nomen una cum Porta, »alma matre,« ipsa diu laudibus exornabitur. Professores deinde Steinhartum, Kobersteinium, Niesium atque prae ceteris Carolum Keilium et doctorem Purmannum vera cum gratitudine appello, quorum cum utroque familiaris usus honore adhuc coniunctum me esse valde delector. Portae quoque debeo carissimos

amicos. In Porta denique divina quadam ratione aditus ad illius cui haec mea dissertatio inscripta est viri spectatissimi cognitionem mihi patefactus est, qui alterius patris instar inde ab anno 1852 usque ad hunc diem in omnibus vitae meae rationibus plurimum valebat.

Anno 1853 examine feliciter absoluto universitatem litterariam Tubingensem adii, ut Christiani Ferdinandi Bauri celeberrimis de ecclesiae historia lectionibus interessem. Neque unquam desinam hunc singularem virum summo amore admirationeque colere. Postquam Tubingae ut eius scholas ita philosophicas, quas Reiffius instituerat de plerisque huius disciplinae partibus, duo per semestria frequentavi: in hanc universitatem mense Oct. 1854 me contuli et a v. cl. Mitscherlichio rectore magnifico in albo receptus sum. Primo studiorum meorum ab initio historiae et philosophiae operam navans hic aliquamdiu quidem theologicis scholis interfui vv. cll., quos grato animo nomino: Vatkii, Nitzschii, Twestenii, Lehnertii, Hengstenbergii: sed tacere nolo totum me fuisse duos per annos et dimidium in audiendo vv. cl. Leop. Rankium, Trendelenburgium, Hauptium, Boeckhium, Gerhardum, Curtium, Hirschium. Dum vivam vivet mecum horum maxime egregiorum doctorum gratissima ut exemplorum meorum memoria.

Postremo per huius anni aestatem domi Iulii Pflugii vitae enarrandae operam dabam eaque de caussa cum aliarum Saxoniae urbium tum imprimis Cizae archiva perscrutatus sum. Iamiam vero Berolinensis universitatis amplissimo philosophorum ordini illius mei operis, quod opportuna si invenitur occasio publicandum curabo, specimen quoddam offerre audeo atque omni cum observantia peto, ut idem amplissimus ordo mihi summos in philosophia honores concedat.

THESES.

1. Ciceronis philosophia quae »eclectica« dicitur ut in moribus colendis ita in partibus formandis, quas Humanistae inprimis defendebant, Reformationis aetate plurimam vim habuit.
2. Per annos circiter viginti, qui pacem Augustanam subsecuti sunt, cum omnia elegantioris vitae studia tum optimae litterae artesque tam admirabili ratione floruerunt, ut posteriorum aetatum nulla fere alia quam haec nostra comparari possit.
3. Minime dicere licet tum contentiones de dogmatibus exortas inter Protestantes summam rerum Germanarum continuisse.
4. Bellum quod in Germania praecipue inde ab anno 1618 usque ad annum 1648 gerebatur non pro religionibus susceptum est, sed caussa eius haec mihi videtur, quod imperatores Austriaci illa politica studia, quae Carolo V. de tota Germania placuerant, Austriae certe populis nationibusque adhibituri erant.
5. In Graecorum Romanorumque tragoediis et rerum gestarum historiis notiones fortunae, daemoniôn,

(cf. Thucydidis τὰ δαιμόνια), deorum irae (cf. Tac.) nihil nisi finem significant, usque ad quem scriptores omnium rerum naturalium et civilium coniunctionem omnipotentem cum singulis rebus gerendis cognoverant.

6. Summa Dionysii Halic. de historia componenda praecepta multo magis (ne dicam solam) generis dicendi demonstrativi naturam quam verae res gestas describendi artis spectant.

7. Quod Aristoteles art. poet. cap. 9 qua ratione historia et poesis diiudicanda sit statuit, id ad veram historiam universalem minime referri licet.

8. Firmissima logicorum fundamenta sunt primum linguarum ut ita dicam ingenii cognitio deinde usu experientiaque probata psychologia.